

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Virtus u cum fonte primo

Eque laudabilis uirtus est in corpore
ualido ac libero posita quam in morbido
ac uincto. Ergo ob tuam uirtutem
non magis laudabilis si corpus tuum
integrum fortuna prestitit, quam si ex
aliqua parte mutilatum. Alioquin hoc erit
ex seruorum habitu dominum estimare.
Omnia enim ista in que dominium
casus exercet serua sunt.
Pecunia, corpus et honores
inbecilla sunt fluida, mortalia,
possessiones incerte.

[auctor et fons absunt in manuscriptis]

Idem, ut dixi, in rebus iudicium est quod
in hominibus:

aeque laudabilis uirtus est in corpore
ualido ac libero posita quam in morbido
ac uincto. Ergo tuam quoque uirtutem
non magis laudabis si corpus illi tuum
integrum fortuna praestiterit quam si ex
aliqua parte mutilatum: alioqui hoc erit
ex seruorum habitu dominum aestimare.
Omnia enim ista in quae dominium
casus exercet serua sunt,
pecunia et corpus et honores,
inbecilla, fluida, mortalia,
possessionis incertae: illa rursus libera et
invicta opera uirtutis, quae non ideo
magis adpetenda sunt si benignius a
fortuna tractantur, nec minus si aliqua
iniquitate rerum premuntur.

Lucius Annaeus Seneca, *Ad Lucilium
epistulae morales*, 66, 22-23 (L.
Reynolds ed., vol.1, pp.186-7, ll.18-26,
1-3).